



**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 42. De notandis in patriculari circa diuortium ob fornicationem carnalem,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](#)

se à innocentem separare, ex cap. Quæsuit, De diuortiis, iuxta illud Matth. 5. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proice abs te &c. Si quis vero, addit Sylvestr, propter alterius coniugis crimina, perniciem corporis vel anima non timeat sibi probabiliter; non debet illum defere, nisi crimen sit fornicatio carnalis, ob quod eriam scelus commissum, scita est dimissio, iuxta verbum Domini Matth. 5. sub initium huius capituli relatum. Qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa] vel nisi sit fornicatio spiritualis, in qua nocens per se ueretur incorrigibilis, iuxta dicta in praed. num. 31. 4. de illius in hac re differentia à ceteris criminibus.

C A P V T X L I I .

De notandis in particulari circa diuortium ob fornicationem carnalem.

S V M M A R I V M .

- 319 Nomen fornicationis accipi potest tum proprie, tum communiter: & quomodo in hac re accipi debeant.
 320 Et que ab eo excludi debeant.
 321 Causa in quibus fornicatio non est causa sufficientis diuortii: & peculiarter nota de eo causa in quo vterque coniux reus est illius criminis.
 322 De causis condonacionis, & occasione adulterii data ab altero coniuge.
 323 De causa admisi adulterii per vim, aut aliter absque peccato, aut in quo adulterium ipsum est incertum.
 324 Modus observandus in diuortio.
 325 Personam adultera, etiam latra in eam iusticia sententia, non potest à se dimittere personam innocentem si velit ei cohabitare.
 326 Aliquot conclusiones quibus respondeatur ad questionem, An adulterio post sententiam diuortii datum à iudice, possit statim mutare ingrediendore religionem, aut suscipiendo sacros Ordines.
 327 De eo quod innocentia licet sit ad religionem aut sacros Ordines transire inuito adultero.
 328 Non tenetur vir vxorem adulteram ad pristinam amicitiam admittere, etiam si id eliceat.
 329 Duo causas excepti, qui non habent locum in vxori respectu viri: & interdum, nec in viro respectu vxoris.
 330 Si coniux innocens post factum diuortium adulteretur, non tenetur ante compulsionem iudicis, adulterio reconciliari.
 331 De reconciliatione adulteri que sit facta, & primo de ea que sit per innocentiam carnalem cum eo copulata.
 332 De ea que sit retinendo propria sponte adulterum, & de ea que sit exhibendo se illi familiarem.

319. PRIMVM NOTANDVM EST: Nomen fornicationis carnalis usurpari tum proprie, p: o carnali copula soluti: cum soluta: tum communiter, in illa faciliter generali significatione, que in cap. Meretrices 32. quæst. 4. pronuntiat his verbis Si fuit nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio re alienæ: non enim rapinam permisit qui futurum prohibuit: sed vtique à parte totum intelligere voluit, quidquid illicite rerū proximi afferetur: profecto nomine mœchia omnis illicitus concubitus acque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi. Hæc ibi.

Difficultatem esse vero, qua acceptio in hac re sumi debeat. Ad cuius explicationem Sanchez multa adfert lib. 10. disput. 4. Sufficiat autem quod ille num. tertio circa medium approbat, debere quidem sumi in generali significatione, sed cum limitatione ad fornicationem, in qua ratio perfecta diuortii, tanquam in radice clauditur: qualis est, ut Satis in 4. disput. 36. quæst. viiiia artia 4. immediate ante 2. conclusionem bene notat, omnis concubitus quo coniux illicite coeundo diuinit carnem suam in aliud, vel in aliud. Cum enim matrimonium eo tendat, ut coniuges efficiantur vna caro, iuxta illud Genet. 2. Et erunt duo in carne vna: matrimonij fidem coniux perfecte consummateque violat, qui carnem suam in aliud, vel aliam diu-

dit: indeque oritur ius alterius coniugis diuertendi ab eo, quia fidem taliter frangenti, non tenetur fidem seruare, cohabitando ei, & coniugale debitum reddendo. Sicut enim coniugalis concubitus cum seminatione in vase debito requiritur ad viuionem qua coniuges sunt vna caro, ut habitum est antea num. 39. ita & ad divisionem qua coniux censendus est carnem suam diuisibile, requiritur similis eotius cum alio vel alia: hoc uno addito, quod nihil referat ad rationem fornicationis diuortio dantis causam iustum: siame seminatio in vase ordinario committendo propriæ diuortiatione: an in extraordinario, committendo nefandum scelus Sodomie: per quod cum cato coniugis vere diuidatur cum carne terciæ, ipsum est iuxta antedicta sufficientis causa diuortij. Sicque sentientes plurimos authores Sanchez refert in citata disput. 4. num. 13. idem in sequenti num. 14. assertens de belialitate ob param rationem, quod scilicet caro coniugis diuidatur cum carne bestia.

Negans autem in praed. num. 8. causam sufficientem esse diuortij perpetui, si vir vxorem in uitam Sodomice cognoscat carnaliter: sed tantum diuortij ad tempus, dum a tanto sceleri renuit abstinentem. Et in num. 9. & 10. nec etiam peccatum mollitie talem causam esse, quia neque per hoc, neq; per illud flagitium coniux diuidit carnem suam cum carne tertiae perlonæ, ea ratione qua predictum est. Et num. 12. ob eamdem rationem solos tacitus quantumlibidinosos, & cum animo peruenienti ad copulam carnalem habitos, ea non secuta, non præbere diuortio causam iustum. Non obstat vero, quod Sodomie cum coniuge pollutio sint contra naturam, & peccata grauiora adulterio: quia licet id sit, non repugnat tamen matrimonio ea ratione qua requiritur ad iustum causam diuortij: quia non diuidunt carnem coniugis, cum carne tertii.

SECVNDVM NOTANDVM, Septem causas esse à D. Thoma notatas ad cap. 7. prioris ad Corinth. lect. 2. in quibus non potest coniux dimitti propter fornicationem, nec debitum coniugale ei negari. Eos Summulari, refertur in libro Diuortium. Persequitur vero eisdem Sanchez in lib. 10. disp. 5. Primus est, quando coniugibus in infidelitate existentibus, maritus vxori libellum repudiij dedit, eaque alteri nupis, tunc enim, si ambo sacro fonte abundantur, tenetur vir eam in matrimonium resumere, ex cap. Gaudemus, in fine, De diuortiis.

Secundus causa est, quando vterque coniux est eisdem criminis reus, ut quando vterque adulterium perpetravit, ex cap. Significati De diuortiis, & cap. finali De adulteriis. De quo casu latius tractans Sanchez in sequenti disput. 6. docet primo, ad eum requiri ut de crimen vtriusq; liquidio pateat. Nec enim sufficere si de uno constet, & de altero dubitetur. Itemque, ut vtrumque crimen sit secundum antea dicta, sufficiens ad diuortium: cuius respectu alioqui non euunt paria: non esse autem necessarium ut vtrumque crimen sit eisdem specie quia id non obstat vtriusque & qualitatibus in ordine ad diuortium ipsum, quod ob vtrumque illud conceditur.

Docet 2. concl. 2. & 3. Nihil refertur ad eumdem casum, quod unus coniugum prius, & alter posterius commiserit adulterium: aut quod unus plura adulteria, & alter unum tantum commiserit. Ratio est: quia in iuribus, quibus fulcit propositus casus, ratio habetur tantum fractionis fidei; non vero prioritatis aut pluralitatis criminis, quo frater est: quodquidem crimen in uno coniuge talem esse, puta quo diuinit caro, non definit ex eo, quod alter simile anteaut plures commiserit.

Docet tertio concl. 4. Eundem casum habere locum in foro penitentiali, etiamsi adulterium unius occultum sit a solo Deo cognitum, & adulterium alterius sit publicum: quia, in illo foro non desideratur probatio: sed suffici sola rei veritas cognita: ita ut coniux cuius adulterium est occultum, nequeat in conscientia diuertere ab altero, cuius adulterium est publicum, perinde ac creditor non potest ad solutionem compellere eum cui nouit tantumdem se debere quidem, sed ita occulere, ut id contra ipsum in iudicio probari non possit.

Docet

320.

321.

Docet postremo consequenti disputa. 7. Si ambo coniuges in adulterium lapsi, reconciliati fuerint, & denuo alterut in adulterium labatur: alterum post ratione talis noui adulterij diuertere ab illo. Non enim obstabit alias commissum adulterium, quia illa reconciliatio, matrimonium restituit antiquo suo vigori. Quod etiam numero 4. multis citatis probabile iudicat locum habere, quando unus coniux est emendatus & alter admonitus interpellatusque ut resipiscat, ac simul habitent, persistit in flagito; vim enim reconciliationis habet talis interpellatio: quodquidem nihil ad illam deest, quam ut ab interpellato admittatur.

322. Tertius casus est, Quando persona innocens in consortium maritale nocentem admisit, postquam adulterium ipsius nouit: cum enim diuortium sit in fauorem innocentis, is cedens iuri suo potest delictum condonare: & ita ius diuortij cessabit, quamdui reconciliatus non relabetur in adulterium: quo relapsu interueniente, recurret idem ius; quoniam venia data respicit sola praeterita. Vindendus est Sanchez disput. 5. a num. 19.

Quartus casus est, Quando una persona fuit in causa curaltera adulterium committeret, ex cap. Discretione. De eo qui cognovit consang. Exemplum est, Si vir profanavit vxorem suam, etiam volenter, vel eam impetrare valens, neglexit impetrare. De quibus Sanchez ibid. num. 4. & 5. alios citatis. Addens numero 6. non esse idem censendum, si vir aliud agens indire clam occasionem adulterii praebat, verbi gratia domo vxorem expellendo, eamve deserendo, alimenta denegando, argumento cap. Significasti De diuortiis, & cap. Ex literis eodem titulo. Numero autem 7. vult eamdem esse rationem occasionis dare negando debitum coniugale. Item numero 10. eamdem quoque rationem esse lauidam viri, ob quam vxor ab eo aufugit. Ratio est: quia in istiusmodi casibus, indirecta tantum occasio data est adulterij, tantumq; remota, sicut in negatione alimento rum vel in expulsione a domo. Excipe nisi vir talis faceret ea intentione ut vxor adigeretur ad perpetrandum adulterium: quia tanquam in illud co-sentiens, non posset ob eam perpetrationem ab ea diuertere; cum illi tanquam volenti, non sit facta iniuria.

323. Quintus casus est: Quando vxor fuit violenter cognita: quia tale adulterium caret culpa, ex cap. Irane & cap. Proposito 32. quæst. 5. Qui casus locum haberet etiam si vxor caufam dederit violenti; ut quia non obediuit viro ipsam monenti fugere, ne aduenientes hostes eam opprimant. Namque inobedientia ea non obstat, quin opressio quæ nullo modo prohibere potuit vere violenta fuetit: neque dici potest oppressionem voluntariam fuisse in ipsa inobedientia: quoniam hac ad illum effectum non fuit de se ordinata: prout requireretur ut ille, in eadem voluntate censi valeat. Non esse vero idem si vxor consenserit compulsa metu cadente in constantem virum, quia non excusat: ut idem communissimum sententiam esse ait numero 16. multos in eam referens: Ratio vero est, quia talis metus non obstat quin adulterium sit voluntarium, & inficiatur malitia & culpa, per quam ipsum intrinsece malum est: ita ut mori oporteat potius, quam illud committere, ut iam antea attigimus.

Sextus casus est. Quoties persona commisit adulterium tantummodo materialiter, seu absq; suo peccato: ut quia alter sub marii specie latenter se ei commiscerit, admittens illum bona fide ut maritum: sicut Iacob Genes. 29. bona fide commixtus est Liȝ, quam putauit Rachelim: aut quia probabiliter creditit priorem maritum decepsisse, nupsit alteri: neque enim idem maritus superueniens potest ab ea diuertere tanquam adulterum, ex cap. Cum per bellicam 34. quæst. 2. nisi postquam facta est certior de mariti vita, reddiderit debitum in secundo illo matrimonio. Vindendus est Sanchez numero 11. Qui in 12. extendit eumdem casum ad illam que fornicatur, probabiliter existimans maritum suum vita functum: quoniam iusta ignorantia matrimonij talem excusat à culpa adulterij formaliter: ac proinde & à poena ob illam imposita.

Septimus casus est, Quando adulterium est incertum: alienum est enim à ratione vxorem dimittere ob leuem

suspicionem: non vero ob violentam: qualis est si solus fuit cum sola, nudus cum nuda iacens in eodem lecto: & hora, ac latebris secretis ad tale flagitium commodis, prout habet Palud. in 4. distinct. 35. quæst. vnica artic. 1. conclus. 4. Per illud in cap. Dixit Dominus 32. quæst. 1. Vbi cum que fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere vxor dimittitur. Et per textum magis expressum in cap. Literatuæ fraternitatis, De pœnæ sumpt. Vindendus est Sanchez libro 10. disp. 12. quæst. 3.

TERTIVM NOTANDVM. Modus obseruandus in diuortio (ad quem pertinet ea, quæ late Sanchez perficitur in præceden. quæst. 2.) est: ut si matrimonium sit occultum, ut esse potest clandestine contratum, ubi non est promulgatum decretum Concilii Trident. sess. 24. Dereformatio matrimon. cap. 1. in fine: confitit innocentis possit propria autoritate adulterum descerere quoad habitationem: quoniam Ecclesia in casu occulto iudicare non potest. Sin matrimonium celebratum sit in facie Ecclesiae, & coram testibus sufficientibus, coniux sine autoritate Ecclesiae nequit adulterum quoad habitationem descerere ob adulterium occultum: quia tunc scandalum nasceretur in illis qui diuortij causam ignorarent, atque Ecclesia talem ad coniugem dimissum redire cogeret, iuxta cap. Ex parte 1. De sponsal. illis verbis Quia nemini sicut vxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere, &c.

Quod si non esset scandalum neque coactio Ecclesiae, vir innocens quando adulterium est notorium, possit vxorem adulteram domo sua expellere priuata autoritate iuxta cap. Significasti De diuortiis, ubi vxori dimissæ restitutio denegatur ob adulterium notorium: qua degeneratione significatur potuisse licite dimitti: aliqui enim debuissent restituiri tanquam ea quæ affecta fuisset iniuria. Pro qua re Sanchez multos authores citat in eadem quæstione numero 12. & 13. Ratio autem illius hæc redi potest: quod Christus Matth. 5. & 19. concessit facultatem dimittendi vxorem ob fornicationem eius, neq; Ecclesia tale quid fieri prohibeat, nisi ob scandalum: aut quia fornicatio sive non est certa: quod vtrumq; cessat quando ea est ad eo notoria ut nulla tergiversatione celari possit. Id quod requiri in tali re, sententia est multorum regulatorum in memoria numero decimotertio. Nec immrito: quia vir idem Sanchez in sequenti numero 25. argumentatur: adulterum cohabitatione, in cuius est pacifica possessione, priuare sine restitutio remedio, pena est quasi publica: quam aquam non est inferni priuata autoritate quando adulterum non est adeo notorium, quin tergiversatione celari possit: sed solum quando sic manifestum est, ut aperiisse causam præbeat priuandi: ut quando adulterum est confessus, & filii adulterini notorie extant.

Non obstat autem his, quod in cap. Porro De diuortiis statuitur virum ob parentelam, etiamsi publica esset & notoria, non potuisse absque Ecclesiae iudicio separari ab uxore. In eo enim non est sermo de fornicatione sed de consanguinitate, cuius alia est quam fornicationis ratio in hac re. Consanguinitas enim impedimentum est Ecclesiasticum, & ideo cognosci deberat Ecclesia: fornicatio vero iure diuino est sufficiens causa dimittendi coniugem. Vnde cum notoria est omnino, Ecclesiae cognitione non egat. Quia de re Sanchez pluribus in eadem quæst. 2. num. 38.

QVARTVM NOTANDVM: Quamvis persona innocens possit dimittere adulteram: non possit tamen adultera dimittere innocentem, si haec velit illi cohabitare: à qua & cogni potest ad cohabitationem, debitiq; redditio, etiamsi præcesserit diuortij sententia iuridice lata. Pro qua authores plurimos adferunt Sanchez lib. 10. disputat. 10. numero 3: probatque hac maxime ratione, quod cum diuortij sententia sit proflus in fauorem innocentis, & odium adulteri, non est in damnum innocentis & in fauorem adulteri trahenda, concedendo huic immunitatem à coniugal obligatione, & priuando illum pristino iure suo in corpus adulteri. Quodquidem absurdum est: quia cum solus adulteri condemnatus sit, ius innocentis in-

tegrum

regrum ac illas sum manete debet: nec adulteri ex suo delicto commodum reportare.

^{326.} Exterum quæstio est. An adulteri post sententiam diutorij à Iudice datam, possit statum mutare per professio-
nem in religione approbata, aut susceptionem factorum Ordinum, ita ut nequeat amplius ab innocentia repeti. Quam prius relatis aliorū dicit Sanchez ibidem à num.
12. soluit aliquor conclusionibus. Prima est, non posse mu-
tere, quādīu innocentia contradicit, volens enim fibri re-
conciliare. Ratio est: quia non obstante diutorij senten-
tia, adulteri obligatur reconciliari innocentia id poscenti,
iuxta paulo antedicta. Secunda est, nec id posse ignorante & inconsolabile innocentia, sed licentiam eiusdem requiri.
Ratio est: quia cum innocentia ipse ius habeat cogendi adulterium ad reconciliationem, ita ut licite mutet statum, bene placitum illius exigitur, ne contra suam vo-
luntatem lēdatur in iure sibi per matrimonium acquisito. Tertia est, adulterum valide mutare statum post diutorij sententiam, si innocentia id sciat nec contradicat cum pos-
sit. Ratio est: quia sic licentia satis data esse videatur. Quar-
ta est, ut adulteri de licentia innocentis ad religionem aut
ad sacros Ordines transferat, non esse necessarium videntem
innocentia seruit quod p̄cipitur in cap. Cum sis, in cap.
Sane & in cap. Significauit De conuersi coniugi nemp̄
religionem ingrediatur, vel emittat votum castitatis: ra-
tio est, quod ea iura intelligenda sint ubi matrimonium
integrum & illatum perseruerat: non vbi intercessit di-
utorium, per quod innocentia liber est a iugo debiti coniu-
galis. Quinta est, Si lata diutorij sententia innocentia sa-
pius monitus nolit adulterium sibi reconciliare, hunc pos-
se statum mutare profondo religionem, aut sacros ordi-
nes suscipiendo. Ratio est: quia innocentia reconciliationi
non annuens, quando emendato adulterio tam sape ro-
gatus est reconciliari, ut prudentis iudicio alienum sit
ratione ipsum non acquirentur reconciliationi; censeri
potest adulterio licentiam concedere transfeundit ad aliam
statu: præsumit cum lata diutorij sententia, retineat qui-
dem ius adulterum per reconciliationem reuocandi ad pri-
mum matrimonium: non habeat tamen ipsius sic ob-
ligatum ut is nequeat statum mutare, si ad reconciliationem
minime admittatur, quantumcumque nihil ex sua
parte appareat, quod obstat.

^{327.} QUINTVM NOTANDVM. Innocenti coniungi licitum est, ad religionem transire iniuto adultero, ex cap. A-
gathosa 27. quæst. 2. & ex cap. Constitutus, & ex cap. Ve-
niens De conuersi coniugi. Et ratio est quod adulteri amittat omne ius coniugale. De hoc late Sanchez in sequenti disputatione tr. Quia ad forum externum spectant re-
linquimus apud eum videnda: catena attingemus. Primū
est in tali casu, adulterum teneri quidem continere (*ma-
nente scilicet vinculo matrimonii consummatum*) non tamen si-
mul ingredi religionem, aut vocare castitatem: quia, vt
paulo ante dicitur est, iusta tale quid iniungentia, intelli-
guntur, maritatio per diutorium minime laeso. Secun-
dum est: eo modo quo vir innocentia potest iniuria vxori
adulteri religionem ingredi, posse & factos Ordines susci-
pere: quod Sanchez probat numero 16. Quia ius coniugale regule obstat Ordinum sacrorum susceptionis, ac in-
gressus religionis. Cum igitur adulteri omni iure coniugali destituta sit, viro innocentia que libeat factos Ordines,
ac ad religionem transire. Tertium est. In foro con-
scientia non censeri quidem illicitam de se propria autho-
ritate factam status mutationem ob occultum coniugis derelicti adulterium: quia per illud etiam cessat ius coniugale: ita ut derelicto iniurie minime fiat in eo. Atamen
id ipsum posse aliunde rationem culpam induere: nempe
ex scandalio inde nascituro: & ex iniuria religioni aut fa-
cro Ordini inde securitatem: quia si talis a coniuge derelicto
reputetur in foro externo, ei resiliuerit, in grauem iniuri-
am Religionis & Ordinis. Ob quam causam non licet
propofitam mutationem ante facere, quam obtenta sit
diutorij sententia. Quamquam si fiat, non tantum ordinatio, sed etiam professio erit valida: ut idem pluribus do-
cet num. 14.

NOTANDVM SEXTO, quod idem Sanchez tractat

^{328.} in codem libro 10. disput. 13. Virum non teneri quidem vxo-
rem adulteram ad præfatinam amicitiam ad se reuocate; id
tamen fas illi esse. Quorum prius patet ex cap. Admoni-
tore 33. quæst. 2. illis verbis. Post septem annos pœnitentia
peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si
voluisse. Posterius vero habetur ex cap. Si vir, De adulteriis,
illis verbis. Quod si mulier dimissa egerit pœnitentia,
& volenter ad virum suum reuerti, debet (*intellige
cum glossa, debito honestatis*) sed non saep recipere peccatum.
Vbi adverte dici, non saep, ad indicandum, ut habeat
glossa, quod Ecclesia pro tali minime intercedat; non item,
quod non sit semper locus condonationi; iuxta illud Do-
mini Matth. 18. Non dico tibi usque scriptis, sed usque se-
piuages scriptis.

329.

An autem sit viro licitum cohabitare vxori adulteræ,
non resipiscens difficultis est. Cuius explicationem plu-
ribus persequitur memoratus author ibidem à num. 4.
Nobis autem sufficiat notare duos esse casus (*eos Cætanum
in verbo Matrimonium versus finem tangit*) in quibus vir non
tantum potest, sed etiam debet sub mortali vxorem adul-
teram dimittere. Prior est, quando dimittendo potest illam
corriger, nec alio modo potest. Pro quo facit texus
in cap. Si vir De adulteriis. Verum talis casus in praxi ad
modum rarus est, ut Sanchez num. 8. pluribus ostendit.
Certe si tali perditæ mulieri non sufficiat correctio frater-
na, quia maritus illam admonet pœnis inferni propositis
ipsum deterrendo, modoque sibi permisso puniendo, nol-
la videtur superesse spes emenda moraliter loquendo;
imo credendum est fore, ut a viro dimissa, liberius vacet
libidini, efficiaturque deterior. Posterior casus est: quan-
do retinendo adulterum sequeretur scandalum, puta quia
ipse alii videretur adulterij patronus esse ac fautor: iuxta
cap. 1. 32. quæst. 1.

Porro tales casus non habent locum in vxore respectu
viri. Non quidem prior: quia vxor non est caput vitæ ut
illi incumbat huius instrucción: nec cum subdita sit, potest
statim habet eum cohibendi. Vnde ratio pro codem ca-
su respectu viri allata non potest vxori ipsi adaptari. Nec
item posterior habet locum: quia experientia satis docet,
omnibusque notum est, vxores ægerrime ferre quod viri
alius commisceantur, zelotypaque exuti: ita ut temera-
rium iudicium sit (nisi de contrario aliunde aperte constaret) eis talis criminis participes existimare. Quinimo
nec in ille casibus tenebitur vir vxorem dimittere, si inde
securitum sit maius malum: ut cum id erit illi occa-
sio peius delinquendi potius quam emendationis: vel cum
grauius stinuus carnis impetus, timeret sibi ab inconti-
nentia: vel cum inter ipsum & vxoris parentes, pugnæ, &
cades orientur, ratione quorum datur excusatō ab obli-
gatione eam corrigit. Addit nec videri obligationem
esse dimittendi, si omne periculum scandalis remouatur
sufficienter, alio modo quam coniugis dimissione: qua-
lis modus est manifestare vxoris crimen sibi minime pla-
cere: siue id ipsum protestando publice, siue verbando
eam, aut aliter persequendo, aduentibus viciniis. Alias
enim durum nimis videbatur, maritum propter delictum
non suum priuari confortio vxoris, ac obsequiis illi per
eum de iure exhibendis. Quid si scandalum vitandi nullus
alias suppetat modus, omnino dimittenda est in suo
scelere obstinata.

^{330.} NOTANDVM SEPTIM O. Grauem difficultatem es-
se, An si lata diutorij sententia contingat innocentem la-
bi in adulterium, is cogi posse redire ad coniugem adul-
terij causa dimissum. Quam Sanchez sive tractat lib. 10.
disput. 9. quæst. 3. Omisisti autem alios, quæ adhuc spectan-
tia ad forum externum, contenti criminis responsione, quam
dat pro interno in num. 32. Esterim, talem posse à Iudi-
ce compelli ad reconciliationem: sed ipsum in conscientia
ad eam non teneri ante eiusmodi compulsionem. Cu-
jus responsione prior pars probatur per illud quod idem
habet in præcedentem numero 31. Iudicem seu Praelatum
Ecclesiasticum, cum sit paator animatum, debere ex of-
ficio occurtere coniugum periculo incontinentia: sal-
tem quando ipsum est manifestum, aut ex eo imminet

nota

notabile scandalum aliorum. **I**m vero Praelato ex officio iusta de causa procedenti parendum est in conscientia, iuxta illud ad Roman. 13. Qui potest, si reficit, Dei ordinationi reficit. Qui autem reficiunt ipsi sibi damnationem acquirunt. Pro posteriori parte autem faciunt rationes quas idem Sanchez ibidem afferit num. 30. Nobis sufficere potest quarta, quae talis est. Diuortij sententia absolvit innocentem à debito coniugalis societatis, dissoluitque contractum matrimonij quoad ius thori & cohabitationis, manente vinculo. Quare innocens postea fornicans, reus erit quidem adulterii in ordine ad Deum, ob perleuans matrimonij vinculum: non peccabit ramu aduersus coniugem dimissum nec inferet illi iniuriam (quandoquidem iure per matrimonium quæsto, spoliatus est per Iudicis sententiam) perinde ac coniux fornicans alterio conniuente reus est adulterij in ordine ad Deum ob vinculum matrimonij: non tamen in ordine ad coniugem conniuente: curia iniuria cessat. Ita ille bene tot dem pene verbis.

NO T A N D V M P O S T R E M O, conciliationem coniugis adulterii cum innocentem esse posse, nō modo expressam: qua ex pressæ condonatur adulterium: sed etiam tacitam, per quam factò aliquo animus condonantis aperitur. De qua re Sanchez in sequenti disputatione 4. inter cetera habet conclusiones has ad proximam conductentes.

Prima est. Coniugem innocentem habendo carnalem copulam cum coniuge adultero, censerit condonare ei iniuriam adulterij, ne deinceps liberum esse ei, ob id ipsum ab illo diuertere. Hanc ipse Sanchez habet num. 6. pro eaque plurimos citat præmissa hanc ratione: quod per talam copulam caro adulteri dimisa, restituatur ad primitam unionem; iterumque ipse efficiatur una caro cum carne innocentis: ita ut matrimonium quoad thorum & habitationem dissoluum, ob carnis divisionem, instantur carne de novo effecta una per copulam coniugalem: si quidem adhuc duas conditions. Prior est, de qua idem nu. 9. & tribus sequent. ut coniux innocens conscius sit adulterij alterius coniugis. Ratio est, quia nulla remissio datur vbi est ignorancia iniuria: nec enim actus agentium operantur ultra corundem intentionem: nec intentione haberit potest vbi ignorantia adest.

Addit ille primo, innocentem sufficienter censerit consciū, qui etiā non sit omnino certus, habet tamen probabiles adulterij rationes, ob quas iuste inducitur ad illud credendum: quo lquidem est, ipsum habere moralem certitudinem, sufficientem ad mouendum in agendo virtutem prudentem. Addit secundo, nihil referre, quod adulterio adiunxit Sodomiam aut bestialitatē: quarum innocentis non sit conscius: quia cum, sicut adulterium, ob carnis divisionem sint causa diuortij: id quod s. f. sicut ad tollendum ipsammet divisionem, sufficit etiam ad tollendum diuortium. Eadem divisione autem ex quibuscumque causis nascatur, sufficienter colligitur per copulam coniugalem habitam animo efficiendi unam carnem cum coniuge, qui suam diuisiit. Ad dit tertio, ad validitatem propositor condonatio non esse necessarium, ut adulterio cognoscat suum adulterium notum esse innocentem, quia ad eam non requiritur eiusdem adulteri acceptatio: sed sufficit tolli impedimentum voluntatis, quia innocentis iure suo viens nolit adulterio cohabitare: sicut ad videndum, manente potentia, visu integra (prout matrimonium manet integrum adulterio non obstante) sufficit appositor obstaculum tollere. Posterior conditio requisita ut copula censeatur condonatio, est ut sponte habita sit: nam donatione proficiuntur debet de se à liberali voluntate, cum nemmo agens compulsionem necessitate, liberalis presumatur. Vnde idem bene colligit, non esse talen censendam, si vir viro adulterio debitum reddat, graui metu ipsius perculsa: nec item si reddat falso persuasa fœdum id teneri.

Secunda conclusio est. Innocentem sponte propria retinente secum adulterum, censerit condonare illi adulterium. Ratio est, quod id sit manifestum amicitiae signum. Intellige autem, sicut in precedenti conclusione, dummodo innocentis ipse certos sciat adulterium commissum esse, aut violentam de eo suspicionem habeat ex conjecturis ad

moralem certitudinem sufficientibus. Deinde, ut idem adulterium ita sit publicum, ut nulla tergiuersatione celeri possit, quia non posset alioqui propria auctoritate adulterum repellere: sique repelleret, his ei intentaretur: & deficiens in probatione, cogeretur à Iudice repulsum pati: cuius incommode timore, cum secum retinet, non est spontanea retentio, qua habeat rationem liberalis donationis. Denique si retineatur ad breue solum tempus, expectando opportunitatem perficiendi diuortij.

Tertia conclusio est. Adulterium censerit condonatum, si innocens, scienter ac sponte, si nulla necessitate, ne quidem honestatis intiuicu: compulsus, familiarem exhibeat adulterio, ludendo, ridendo, comedendo cum eo, osculando, amplexando. Ratio est: quia talia sunt signa amicitiae manifesta. Qua tamen, quia tantum facit in condonationem presumptam, si innocens cum eis animum habeat non condonandi adulterium: condonatio in foro interno erit nulla: etiam si in externo, idco iudicabitur valida, quod exterius gesta animum contrarium indicent: nec actus operentur ultra intentionem agentium, ex lege Non omnis f. Si certum petatur. Vbi ergo in haec re contraaria intentio, non erit condonatio. De qua re Sanchez plenius in ead. disp. 14. à num. 20.

TRACTATUS VI.

De iis que matrimonio annexa sunt consequenter.

ANEXA matrimonio consequenter censeruntur, tum illius rectus usus: de quo Apostolus in prior. ad Thessalon. cap. 4. monet voluntatem Dei esse ut possideat unusquisque vas suum in sanctificatione & honore, & non in passione desiderij, sicurgentes quæ ignorantiam Deum. Tunc etiam proles ex illo susceppta. Atque de recto usu docendum occurrit quanam ad eum requirantur.

CAPUT XLIII.

De iis que obseruanda sunt in matrimonio usu, ut rectus sit. ac primum de modo.

S V M M A R I V M.

333 *Triplex modus, ex quo illicita esse potest coniugal copula, & in particulari de eo quo intravas non naturale exercetur.*

334 *De secundo modo, quo coniugal copula sit cum feminis effusione extra vas, conclusione notanda.*

335 *De tertio modo, quo illicita est coniugal copula, ob variatum naturalem statim coniugum.*

Ver rectus sit ac legitimus matrimonij usus obseruanda sunt deinceps conditions indicate his versibus:

Sit modus, & finis sine damno, solus, cohere, Sit lo us & tempus, tactus, ne spernit votum.

De his D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 20. Sylvestri & reliqui Summulari in verbo Debitum, Caiet. in verbo Matrimonij peccata, Nauar. in Enchir. cap. 16. num. 23. & non nullis sequentibus, Toletus in instru. Sacer. lib. 7. cap. 20. & 21. Gregor. à Valentia tomo 4. disput. 10. quest. 6. puncto 2. & Sanchez alias abunde citans libro 9. disput. 8. & aliquot sequentibus.

QUOD AVTEM ad modum attinet, is constitutus triplex reddens illicitum matrimonij usum. Primus est, quando contra naturam, id est, in vase non debito sit copula. Secundus, quando semen extra id ipsum vase voluntarie effunditur. Tertius, quando semen effunditur quidem in proprio vase, sed variatur situs modusq; concubendi naturalis, qui est ut semina sit succuba & vir incubus.

De primo Sanchez disput. 17. cum quo, ac cum aliis quos ipse citat, tenenda sunt sequentes conclusiones. Prima est, Semper esse peccatum mortale coniuges vase naturali dimisso, abuti, aut atuti velle, non naturali. Ratio est:

quia